C lem, sed unà Raphanos ipsos elixantes comedunt Raparũ modo. Cæterum cum medicos, tum idiotas illos mirari subit, qui à cœna crudos eos concoctionis iuuandæ gratia edunt. Ipsi quidem se experientia id abundè compertũ habere dicũt, nullus tamen exemplum illorum sine damno imitari potuit. Hactenus Galenus, cuius equidem uerba eò libentius recitauimus, quod uulgi errorem Raphanos à cœna comedentis lepidè notare uideantur.

EX PLINIO.

Raphani decocti mane poti ad ternos cyathos, cõminuunt & eijciunt calculos. Iidem in posca decocti, contra serpentiũ morsus illinuntur. Ad tussim etiam mane ieiunis prodest Raphanus cum melle. Semen eorum tostum, ipsumq; cõmanducatum ad lagonoponon: In aqua foliis eius decoctis, bibere uel succum ipsius cyathis binis. Contrà phlegmoni ipsos illinire tusos utile. Inchoantibus autem recentem corticẽ cum melle, ueternosis uerò quamacerrimos mandere. Semenq; tostũ, dein contritũ cum melle suspiriosis. Iidem & contra uenena prosunt. Cæterum cerastis, scorpionibus aduersatur, uel ipso semine infectis manibus impunè tractantibus. Impositio Raphano scorpionibus, moriuntur. Salutares & contra fungorũ aut hyoscyami uenena çquè, ut Nicander tradit. Et contra ixiam quoq; dari duo Apollodori iubent, sed Citieus semen ex aqua tritum, Tarentinus succum. Lienem item extenuant, iecinori prosunt & lumborum doloribus. Hydropicis quoque ex aceto & sinapi sumpti, & lethargicis. Praxagoras & iliosis dandos censet. Plistonicus & colicis. Intestinorũ ulcera sanant. At purulenta prȩcordiorũ, si cum melle edantur. Quidam ad hæc coquere eos in luto illitos malunt, sic & fœminas purgari. Ex aceto & melle sumpti intestinorũ animalia detrahunt. Item ad tertias decocto eorum poto cum uino enterocelis prosunt. Sanguinem quoque inutilem sic extrahunt.
D Medius ad hæc & sanguinẽ excreantibus coctos dari iubet. Et puerperis ad lactis copiam augendã. Hippocrates capillos mulierũ defluos fricari Raphanis, & super umbilicum imponi, contra tormenta uuluæ. Reducunt & cicatricẽ ad colorem. Semen quoque ex aqua impositũ sistit ulcera quæ phagedænas uocant. Democritus Venerem hoc cibo stimulari putat, ob id fortassis uoci nocere aliqui tradiderunt. Folia quæ in oblongis tantum nascuntur, excitare oculorum aciem dicuntur. Vbi uerò acrior Raphani medicina admota sit, Hyssopũ dari protinus imperant. Hæc antipathia est. Et aurium grauitati succum Raphani instillant. Nam uomituris, summo cibo esse eos, utilissimũ est. Syluestris urinæ duntaxat eijciendæ utilior.

DE RIBE▸ CAP▸ CCLVI▸

NOMINA.

Ribes. GRAECIS cognitus fuerit nec ne frutex ille, nondum compertũ habeo. Mauritanis & officinis hodie Ribes nominatur. Germanis S. Johanß treublin oder beerlin/ quod scilicet circa diui Ioannis Baptistæ diem fructus eius fruticis ad maturitatem pertingant.

FORMA.

Frutex est nullis spinis horridus, sed topiarius magis, uitis pusillæ foliis, baccis rubentibus ex pediculis longis dependentibus refertus, ut pictura ipsa abundè docet. Vnde manifestum fit Mauritanorũ Ribes à nostro diuersum esse, quod non uitis, sed lata potius, magna, rotunda & uiridia folia habeat. Quanquam non lateat Arabes etiam in Ribes descriptione non admodum concordes esse.

LOCVS.

RIBES